



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XVIII. De poena iudicum saecularium, qui clericos repertos cum armis, vel in aliis maleficiis deprehensos, detentos, retinent, vel ad suum iudicem opprobriose remittunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1317.

seruari, ab ingressu ecclesiæ & participatione sacramentorum suspendimus in his scriptis.

## RVBRICA XVII.

Licet ex dictis sanctorum & ex scriptis Conciliorum, omnibus seruis Dei venationes cum canibus & auibus sint interdictæ, nonnulli tamen religiosi, sicut fide dignorum relatione accepimus, hoc minus pensantes, honestatis laxatis habenis, monachali modestia prorsus abiecta, monasterii claustrum abhorrentes, sine quo monachus vita carere describitur, sicut pisces vita carent sine aqua, more laicorum ipsis intendunt in grauem religionis offensam, opprobrium & scandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum statui periculoso & detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante Concilio, districtius inhibemus religiosi omnibus, cuiuscumque status, conditionis, religionis, vel ordinationis existant, ne de cetero venari, seu ad venandum exire præsumant. Si quidem abbates, priores vel præpositi, seu alias administrationes habentes fuerint, per annum ipso facto sint suspensi ab omni administratione, donec ad mandatum ordinarii plene satisfecerint. Inferiores vero sint ineligibiles, & vltimi semper in choro habeantur, donec ad mandatum abbatis, prioris vel præpositi sufficienter pœnitentiam egerint de commissis.

## RVBRICA XVIII.

Sæculares potestates, seu rectores vel iudices quorumcumque locorum prouinciæ Rauennatis, qui clericos per ipsos, seu ipsorum familias cum ar-



mis, vel alias excessisse, & maxime in habitu clericali repertos, detentos retinent, & ad dicecesanum episcopum remittere denegant, requisiti, seu qui clericos ipsos, si eosdem remitti per eos forte contigerit, in scandalum & opprobrium ordinis clericali, tubis præcedentibus & tubantibus, armis apud ipsos inuentis, ad eorum collum appensis, & cum multitudine armatorum, seu alias inhoneste ad eundem transmittunt episcopum: declaramus præsentis auctoritate Concilii, excommunicationis vinculo innodatos, & eorum sententias & processus per ipsos seu auctoritate ipsorum latos & factos, extunc fore censemus inualidos, donec satisfactione præstita, a prædicta excommunicationis sententia per sedem apostolicam dumtaxat absolutionis beneficium meruerint obtinere.

## RUBRICA XIX.

Cum nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante Concilio, quod si qua alia pœna statuta esset in constitutionibus synodalibus nostris, vel suffraganeorum nostrorum, quam in nostris constitutionibus prouincialibus, vel prædecessorum nostrorum, statutum circa idem factum reperitur, quod altera ipsarum sit contentus loci ordinarius, & vna electa & imposita per ipsum, seu eius vicarium, alteram infligere, seu inflictam exigere non possit.

## RUBRICA XX.

Cum inferior superioris legem habeat obseruare, nec eam possit infringere, seu etiam abolere, &  
in